



## **Locutio Dei Ad Cor Religiosi**

**Pawłowski, Daniel**

**Leodii, 1701**

III. Meditatio: De judicio Dei universalis.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59541](#)

solitus fuerit ; Si Matrem exprobrantem ferre non potui , Judicem Christum exprobrantem in die judicii quomodo feram ? Hinc disce , Religiose , etiam ipsum Religiosum statum tibi timendum esse , si in eo , non ut par est , vixeris ; plus enim à te requirit Deus , quàm à sacerdotalibus .



## DIEI QUINTÆ M E D I T A T I O III.

### *De Indicio Dei universali.*

Competere Meditationem hanc Exercitiis Spiritualibus , innuit S. P. N. ad initium Meditationis primæ hujus diei relatus .

ORATIO PRÆPARATORIA , &  
PRÆLUDIUM I. *ut supra.*

PRÆLUDIUM II. Pete à Deo  
gratiam , imprimendi animæ tuæ sonum  
illum tubæ : *Surgite mortui , venite ad ju-  
dicium?*

PUNCTUM I. Audi Deum dicen-  
tem : *Joël. 3. Congregabe omnes gentes ,*  
*& deducam eas in vallem Josaphat.* Hoc au-  
diens , considera præcipua ex iis , quæ  
præcedent Judicium universale. 1. Ad  
sonum tubæ aperientur monumenta ,  
animæque reunientur corporibus. Ah !

quid anima damnati dicet reassumendo corpus enormissimum ! quomodo illud maledicet , quod propter ejus oblectationes damnata sit . E contra , quomodo anima justi benedicet corpus suum , quod illi instrumentum fuit ad salutem per mortificationem , &c. 2. Damnati ad intuitum signi Crucis in aëre apparentis clamabunt : *Montes , cadite super nos , Eccl. Justi autem dicent , O Crux ave spes unita !* 3. Dum videbunt damnati justos occurrere Christo in aëra , movebuntur pœnitudine inutili , dicentque : *Nos stulti , vitam illorum estimabamus insaniam , Eccl. ecce , quomodo computati sunt inter filios Dei !* transferunt omnia , nos autem in æternum miseri ! vide , inter quos ex his , Religiose , velis esse .

II. Audi Deum dicente , *Ezech. 7. Nunc finis super te , & judicabo te juxta vias tuas.* Hoc audiens considera præcipua ex iis , quæ peragentur in illo judicio . 1. Pauperes spiritu , & re ( quales sunt Religiosi ) erunt Judices aliorum : ô quanta felicitas ! 2. Manifestabuntur peccata singulorum hominum toti mundo : quam igitur demens , qui modò non manifestat in Confessione ? 3. Separabit Christus Agnos ab hædis : Et ubinam stabis Religiose ? si tantum materialis , & veste solâ Religiosus es ? dexteram non spera . 4. Feret sententiam *Judex , dicetque Agnis : Venite benedicti*

Patris mei, possidete regnum, &c. Hædis autem; Discedite à me maledicti in ignem aeternum, &c. Expende singula verba, praesertim illud, Venite, respondens vocacioni; Et illud, Discedite, respondens dismissioni.

III. Audi Christum dicentem, Matth. 25. Et ibunt hi in supplicium aeternum; justi autem in vitam eternam: Expendeque singula verba. 1. Et: Significans continuationem poenæ cum decreto immutabili; nunquam ex isto Et, fiet Vel. 2. Ibunt: in æternitate solùm est progressus, terminus nunquam. 3. Hi: Ne communi quidem termino digni, qui à Deo exciderunt. 4. In supplicium aeternum, promomentaneis vanitatibus. 5. Justi autem, &c. Quàm magna merces, pro tantillis laboribus! Jam quantus erit damnatorum ejulatus, dum incipient evanescere ex oculis eorum olim amici, socii, &c. condiscipuli, connovitii, conreligiosi, &c. Hisce non moveberis?

COLLOQUIUM. Institue his verbis:  
Cùm veneris judicare, noli me condemnare!  
Per illud judicium, quo apud Pilatum  
iniquè judicatus es Domine Jesu, parce servo tuo! &c. In fine Pater, Ave,  
& Anima Christi, &c.

